



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

II. Vtrum ratio sacramenti sit vniuocè communis antiquæ, & nouæ legis
sacramentis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

tionem adhibentur, ut patet, sublata contentione, quæ foret inepta de superficie vocularum, aut summo rigore significationis. In definitione Catechismi, dum exprimitur institutio diuina secundum se, docetur re ipsa ratio signi perfectissimi, & humanæ intelligentiæ summè accommodati; quatenus opera Dei sunt vnumquodque in suo genere perfectissima, & ad fines intentos summè accommodata. Signum autem rei sacræ perfectissimum, & humanæ intelligentiæ summè accommodatum est, quod ex analogia sibi innata præditum est vi speciali manductionis intellectus ad rem significatam. Idem dico quoad eandem partem de definitione Suariana. 1. Quod in ea additur. *Sacra, ac sensibilis cæremonia*: non tam exprimit rationem quidditativam, quam proprietatem sacramenti in eo fundatam, quod sacramentum sit signum sanctitatis ex institutione homini ab homine exhibitum. Quia actio exterior ad sanctificationem hominis extrinsecus ordinata, eo ipso habet rationem sacræ, ac sensibilis cæremoniæ. Quare in nostra definitione adest ratio à priori eius particulæ, & re ipsa eadem particula. In definitione Diui Thomæ, nemo est qui non aduertat aliquid esse subintelligendum præter ea, quæ ab eo exprimuntur. Aliqui, ut Vasquez, volunt signum sanctitatis subintelligi verum, idque à Deo institutum, in quo includitur, uti modo dicebatur, ratio symbolici. Alij, ut Suares, & Valentia, subintelligunt rationem practici. Ego vtrumque subintelligendum puto, idque ex mente ipsius Sancti Doctoris, ut colligitur ex eodem in 5. dist. & art. 1. in fine responsionis ad primam quæstionculam, ac deinceps; ibi enim latè, & distinctè exponit, & approbat omnia, quæ à nobis dicta sunt, eadèque non obscurè colligi possunt ex iis, quæ post illam definitionem obiter tantum datam, nec admodum claram adiiciat art. 6. eiusdem illius quæst. 60.

Ad 4. Similitudo symbolica, seu analogica consistit in quadam proportionalitate ratione cuius res inferioris ordinis excitare valet memoriam rei ordinis superioris, & ad eius vltiorem deinde cognitionem inuare. Eiusmodi autem proportionalitatem cum effectibus sacramentorum non habent promiscuè res omnes.

Ad 5. Nullum sacramentum est in se stabile, ac diu permanens, sed quam citissime transit vna dempta Eucharistia, quæ nec ipsa est durationis valde magnæ. Quod autem sacramentum intrinsecè postulet procedere à causâ, vel serie causarum inuicem, saltem vagè, connexarum, valente proximè per longum tempus iterum, atque iterum illud perficere; adeoque vnum quodvis sacramentum sit intrinsecè diuturnum quoad speciem, in primis non admodum efficaciter demonstratur verum esse. Deinde ut verum sit; nec stabilitas, nec instabilitas pertinent ad conceptum quidditativum cuiusque rei, sed sunt proprietates in aliquo priori prædicato fundatæ. Ob quam rationem præmittuntur nonnullæ aliæ sacramentorum descriptiones, potius, quam definitiones, per eorum varias proprietates, expositæ. Quod attinet ad primam stabilitatis sacramento essentialis probationem; sicut de facto instituta sunt signa discretiua populi mutanda ex natura rei post longum tempus, succedente nouo post verus testamentum; ita institui posse videntur eiusmodi signa, quæ intra breue tempus ex natura rei euanescent: sicut si in fine mundi, propter speciales tunc angustias populi Dei, speciale aliquod sacramentum instituere; ita ut populus Dei ex natura rei habeat semper aliqua signa discretiua sui; sed non necesse sit semper, aut longo tempore ea perseuerare. Altera probatio deficit, quia adducit exempla signorum san-

ctitatis non significantium ex præsupposita institutione, nec ex se præcisè, sed ex natura rei ob circumstantiam personæ operantis, aliisque illi adiunctas.

QVÆSTIO II.

Vtrum ratio Sacramenti sit vniuocè communis antiquæ, & nouæ legis Sacramentis.

Affirmant Suarez, Vasquez, Cardinales de Lugo, & Bellarminus, alique moderni passim. 1. Quia Concilium Florentinum in instructione Armenorum lib. quinto Ecclesiasticorum: & Tridentinum sess. 7. can. 2. Sacramenta antiquæ legis ore pleno appellant sacramenta absque vlllo addito diminuentem, non secus, ac sacramenta nouæ legis: Ergo vtrique aequali proprietate, ac proinde vniuocè sunt sacramenta.

2. Florentinum ibidem hoc solum discrimen assignat inter vtrique, quod antiqua non conferebant gratiam, eam verò conferant noua; cum si vniuocè non continerent hoc potissimum debuisset assignari discrimen; alia esse vera, & simpliciter sacramenta; alia secundum quid tantum, & adumbrata.

3. Quod antiqua sacramenta solam conferrent sanctitatem legalem, & externam; internam verò, & veram conferant noua; solum probat effectibus vtrorumque non esse vniuocè communem rationem sanctitatis, non tamen rationem causæ sanctitatis, non esse vtrisque sacramentis vniuocè communem: Quandoquidem vtralibet alterutram sanctitatem, eodem prorsus modo conferunt. Quæ de causâ actioni productiue accidentis, & quæ producit substantiam est vniuoca ratio actionis, etiam apud eos, qui putant rationem entis non esse vniuocam, sed analogam substantiæ, & accidenti. Cætera autem sacramenti; præter causalitatem sanctitatis, esse vtrisque sacramentis vniuocè communia, nemo dubitat.

4. In definitione sacramenti ponitur disiunctiue sanctitas quatenus causata pro legali, vel interna, ut vult Suarez; atque alteram partem disiuncti participant ex æquo alterutra sacramenta. Deinde per vtrique sacramenta significatur practice vera sanctitas, ut infallibiliter conferenda siue de præsentī, quod fit per sacramenta noua, siue de futuro, quod fiebat per antiqua. Quæ differentia non variat rationem practice significationis, & veræ donationis, ac collationis secundum se, ut contendit Cardinalis de Lugo: sicut in propositione, siue sit de præsentī, siue de futuro, non propterea est diuersa ratio veritatis.

5. Causalitas sanctitatis, seu ratio sanctificationis non est de conceptu sacramenti, ut sic, & in communi, ut contendit Vasquez, sed sola significatio sanctitatis; Siquidem prima definitio sacramenti secundum suum abstractissimum conceptum apud Magistrum dist. 1. Est *signum rei sacræ*, & apud Diuum Thomam ubi supra vnica definitio est *signum rei sacræ: in quantum est sanctificans homines*; atque istæ definitiones sunt communiter admittæ. Certum autem est, rationem signi veræ sanctitatis esse vtrisque sacramentis vniuocè communem.

6. Si circumcissio, & similia veteris legis tantum analogicè, & secundariò sacramenta dicerentur; eodem iure, & modo, ac illa dici possent sacramen-

ta, iuxta theologicam sacramenti usurpationem, rota biblia, & quævis eius pars, transitus maris rubri, serpens æneus, & quæcunque alia fuerunt signa præfiguratiua Christi, & gratiæ ab eo communicatæ: immo & sacramentalia omnia vetera, & noua, quia hæc omnia & similia habent relationem aliquam ad sanctitatem cum aliquali significatione symbolica ipsius. Est autem absurdum consequens.

Art. 1. Respondetur. Quæ significantur vno nomine relatiue ad aliquod vnum, atq; ad illud referuntur secundum diuersum relationis modum, analogice tantum conueniunt in ratione significata per nomen. Quia partim in illa conueniunt, & partim differunt, vt habetur ex D. Thoma. 1. part. q. 4. art. 3. & quæst. 13. art. 5. & 6. & alibi passim cum Aristotele & aliis communiter. Quæ autem sub nomine sacramenti theologicè sumpti comprehenduntur, significantur relatiue ad rem sacræ sanctificantem homines, vt signa illius, & causæ; atque ad eam diuersimodè referuntur sacramenta vetera, & noua. Quia sanctitas, quæ propriè, & simpliciter conferebatur per sacramenta veteris legis, non erat nisi sanctitas secundum quid. Nihil enim erat aliud, quàm sacramentum exterior, seu idoneitas, & habilitatio ad bonum aliquod proprium Ecclesiæ, composibilis cum peccato, & statu damnationis, atque ad statum oppositum remotè tantum disponens. Sanctitas verò propriè, ac simpliciter talis reddens hominem Deo gratum, purum à peccato, & dignum vita æterna, nec conferebatur per eadem sacramenta, nec in illis, vt in causis continebatur, nisi secundum quid, ac remotè; cuius oppositum conuenit sacramentis nouæ legis, vt constabit q. 20.

Art. 2. Patet autem secundum modum longè diuersum referri ad sanctitatem, vt causas ipsius ea, quorum alterum est causa propria simpliciter, ac propriè talis respectu sanctitatis simpliciter itidem, ac propriè talis: alterum verò, vel est causa tantum secundum quid sanctitatis simpliciter, ac propriè talis, vel est causa simpliciter quidem, ac propriè, sed sanctitatis secundum quid talis. Ergo ratio sacramenti analogicè tantum est communis sacramentis antiquæ, & nouæ legis. Quapropter sacramentum, vt docet D. Thomas in 4. dist. 1. art. 1. quæst. 3. ad 5. non diuiditur per sacramenta veteris, & nouæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes, vt sanum inhabens sanitatem, & signans eam. Idem indicat 3. part. quæst. 62. art. 12. ad 1. Eiusdem sententiæ sunt Magister, & Bonaventura, Scotus, & alij in eadem dist. 1. Nec non Alexander, Becanus, & alij.

Art. 3. Confirmatur, quia D. Paulus, vt expenditur in dicta quæst. 20. Sacramenta vetera appellat infirma, & egena elementa comparatione sacramentorum nouæ legis. Quod in vniocè conuenientia minime cadit, vbi ratio generica præualet differentie specificæ, vt accidit in sacramentis habentibus pro genere respectum ad gratiam sanctificantem; & ex ratione insuper differentiali solum ad peculiaria auxilia gratiæ actualis.

Ad 1. Etiam Galenus, & alij Medici ore pleno dicunt sana medicamenta, quibus inducitur sanitas; indicia quibus demonstratur; cibos, quibus conseruatur; & tamen ratio sani est illis, & habenti formaliter sanitatem, tantum analogicè communis. Quod ergo idem fiat circa sacramenta antiqua, nihil magis obesse potest assertæ analogiæ. Ratio est, quia nihilominus erant sacramenta propriè quatenus. Tò propriè opponitur metaphorico, ac omnino translatitio, licet non, vt opponitur diminutiuo significati, quo ad aliquid. Cæterum Florentinum clare docet ibidem, magnum esse discrimen inter sacramenta anti-

qua, & noua, idemque innuit non obscure Tridentinum ibidem. Quod ad assertionem analogiæ maxime inclinat.

Ad 2. Idem est dictum re ipsa, sacramenta antiqua non contulisse gratiam, & noua conferre, atque vtraque analogicè tantum conuenire; vt apparet in nostro fundamento. Nec in Conciliis querendi sunt termini omnes Scholastici.

Ad 3. Quidquid sit de actione, vt sic, certè conceptus actionis formaliter, quatenus est productiua entis, non est vniocè communis actioni productiue substantiæ, & quæ producit accedens; si his non est vniocè communis ratio entis. Quia tanta necessariò est disconuenientia inter causas, siue vt quo, siue vt quod, quatenus continent aliquos effectus, quanta est inter effectus contentos. Ergo eadem ratione, esto conceptus signi practici, aut seorsim conceptus signi, vel conceptus causæ sit vniocè communis vtrisque sacramentis; tamen conceptus signi practici sanctitatis, nequit esse vniocè communis vtrisque.

Ad 4. Genus non bene definitur per rationes differentiales suarum specierum, etiam disiunctiue significatas, quia non bene explicatur, quod est notius, per minus notum; atque genus est notius speciebus. Et quia in definitione speciei poneretur bis sua ratio differentialis, primò disiunctiue, deinde determinatè; siquidem definitio speciei includit definitionem generis, & superaddit determinatè suam rationem differentialem. Præterea ad vniocationem duorum non sufficit alteri conuenire vnam partem disiuncti, & alteri alteram partem. Quia est de conceptu vniocationis, vt idem secundum eandem rationem vtrisque conueniat. Quod additur de vera collatione veræ sanctitatis per sacramenta antiqua, & noua cum sola differentia temporis præsentis, & futuri, falsum omnino est, docentibus Florentino, & Tridentino, hæc continere, & conferre simpliciter, illa non; vt dicitur q. 19. & 20.

Ad 5. Signum rei sacræ omnino speculatiuum, nullius designatiuum personæ nulli vtile, à quolibet indiscriminatim institutum, non infallibile, non discretiuum populi Dei, nullum dicens ordinem ad sanctificationem hominis determinati, nullam continens promissionem diuinam, ad quæ omnia est indifferens ratio signi rei sacræ secundum se nullo alio superaddito, aut subintellecto. Tale, inquam signum, inconfesso est apud omnes, non exprimere adæquatè rationem sacramenti theologicè, ac dogmaticè sumpti apud Catholicos, & prout de illo agitur in præsentia. Quare quod dicitur prima definitio Magistri; vel est pura quædam generalis expositio quoad quid nominis; vel certè non subsistit, nisi aliquo alio subintellecto, vt aduertit D. Thomas in eum locum quæstionculæ prima citata in fine corporis, & liquet clarè ex contextu sequenti ipsius Magistri; ac proinde ex illa definitione, seu quasi definitione nequit deduci vniocatio intenta quoad conceptum adæquatum sacramenti. Idem dico de D. Thoma, qui & ipse signum rei sacræ sanctificantis accipit pro signo sanctificationis, ideòque practico, & causatiuo rei significatæ. Constat hoc clarè ex eadem quæstioncula ad 3. vbi rationem ob quam, serpens æneus de quo numerorum 21. non fuerit sacramentum, reddit his verbis: *dicendum quod quamuis serpens æneus esset signum rei sacræ sacramentis, non tamen in quantum sacræ est actus, quia non ad hoc adhibebatur, vt aliquis sanctificationis effectus perciperetur, sed solum effectus exterioris curationis, & similis est ratio imaginis crucis, quæ ponitur tantum ad representandum. Ergo signum non sanctificatiuum non est*

est vllum sacramentum, neque nouum, neque vetus apud D. Thomam. Idem clarè docet ibidem sæpè, præsertim quæstionc. 3. & 4. & maximè ad 1. quartæ, quæ incipit: *Dicendum quod sacramentum est causa, & signum.*

Ad 6. Antiquæ repræsentationes Christi, & eius gratiæ, quæ communiter non dicuntur, nec reuerà sacramenta fuere, non adhibebantur, vt aliquis sanctificationis effectus; ex illis secundum se perciperetur, vt modo dicebat Diuus Thomas de serpente æneo; sed præcisè ad repræsentandum; idemque dicitur de sacra Scriptura. Iam sacramentalia non significant præctice rem sacram significantem; sed solam disponentem ad sanctificationem, vt dicitur infra q. 36. ex D. Thoma, & aliis. Ergò neque de iis, neque de aliis similibus est eadem ratio, atque de circumcissione, & similibus, vt dicantur analogicè sacramenta. Agetur verò deinceps ex professio de præcipuo anologato, nempe de sacramentis nouæ legis, & obiter de antiquis; idque primum in genere, deinde in specie.

Q V Æ S T I O III.

Vtrum omnia Sacramenta constent rebus, & verbis, tanquam materia, & forma?

V idetur non constare. 1. Ex Durando, quia sacramentum penitentiae perficitur exteriorius, ac sensibilibiter sola confessione penitentis, & absolutione ministri, & vtrique constat solis verbis.

2. Ex eodem: Sacramentum matrimonij perficitur aliquando per solos natus, & tunc sine verbis; vt plurimum verò per verba, & tunc sine re distincta à verbis.

3. Ex Soto, & aliis, Sacramentum Eucharistiæ perseuerat post desitionem verborum Ergo non constar verbis, tanquam forma.

4. Vt sacramenta omnia constarent rebus, & verbis; non tamen tanquam materia, & forma. Quia neutra sunt ex alteris recipiuntur. Ceterè verba non possunt habere rationem formæ, quia habent minorem perfectionem, quam res; cum tamen forma cuiusque compositi sit pars eius perfectior, dans illi speciem.

5. Antiqua sacramenta præcesserunt, vt exemplaria nouorum, atque illa verbis nequaquam constabant, vt mox dicitur. Ergo verba ad nullius sacramenti substantiam pertinent, etiam cum adsunt.

Art. 1. Respondetur. Certum primò est, sacramenta antiqua solis rebus, & non etiam verbis constistisse. Colligitur ex 17. Gen. 12. Exodi, & 8. Leuitici, vbi præscribuntur ritus circumcissionis agni Paschalis, & ordinationis Sacerdotum absque vlla verborum mentione. Adhibetur quidem Leuit. 4. oratio vocalis in sacrificio pro expiatione peccatorum; sed erat purè precatória, non perfectiua, ac essentialiter constitutiua sacrificij; quia non adhibebatur in eo, cum offerretur pro ipso sacerdote. Præterea est probabilius tale sacrificium non fuisse simul sacramentum, quia erat signum sanctitatis, qua Deus est in se sanctus, & cultu dignus; non sanctitatis, quæ inde ab aliquo homine perciperetur ex opere operato.

Art. 2. Certum rursus est negari minimè posse, quin omnia sacramenta nouæ legis aliquo modo constent rebus, & verbis tanquam materia, & forma. Audiatur Eugenius 4. in Decreto pro instructione Ar-

R. P. Esparza Cmsf. Theol. Tom. II.

menorum, quod habetur sub finem Concilij Florentini in lib. supra citato 5. *Ecclesiasticorum*, vbi enumeratis omnibus nouæ legis sacramentis subiungit sic: *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam forma & persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia: quorum si aliquid desit, non perficitur sacramentum.* Vbi si solum diceretur, sacramenta omnia perfici rebus, & verbis, sicut dicitur perfici persona ministri cum intentione; non propterea sufficienter deduceretur vtrique illis constitui intrinsecè; deducitur tamen efficaciter ex eo, quod addit: *perfici rebus tanquam materia, & vocibus, tanquam forma.* Quia materia, & forma ex vniiformi apud omnes vsu significant determinatè partes intrinsecè constitutiuas totius; cuius dicuntur materia, & forma. Constant igitur intrinsecè omnia sacramenta nouæ legis rebus, & verbis.

Art. 3. Certum denique est sacramentum esse totum quoddam morale constans ex partibus moraliter tantum inter se vnitis, ob vnitatem voluntatis ordinantis illas simul sumptas ad vnum finem ac effectum indiuisim per ipsas inducendum. Vnde ad verificanda superiora illa verba Concilij iuxta eius mentem, non solum necesse non est, physicam aliquam vniionem res inter, & verba ponere, sed neque necesse est ponere in singulis sacramentis res, & verba inter se realiter, ac formaliter distincta. Quæ autem talia sunt non sortiuntur rationem materiæ, & formæ, iuxta summum rigorem, ac proprietatem grammaticalem harum, & illarum vocum, sufficit si res, & verba moraliter saltem, & æquiuenter reperiuntur, eisque secundum munus proprium ipsorum, quatenus pertinentium ad sacramentum, insit aliquod prædicatum ex iis, quæ sunt præcipua in materia, & forma physicis. Vtrumque aduertunt Conink, & Tannerus in præsentia cum D. Thoma, Bellarmino, & aliis communiter: colligiturque ex eodem Concilio. Quia si ageret in rigore metaphysico, non potuisset distinguere res à verbis, quæ & ipsa sunt res quædam. Et multò minùs ibidem *S. seprimum est sacramentum*; potuisset dicere: *causa efficiens matrimonij regulariter est mutus consensus per verba de præsentia expressus.* Quod perinde est ac dicere; non semper, ac necessariò effici per verba; atque hoc contradiceret definitioni generali superius positæ, & nuper hic prælatæ, nisi verba æquiuenter etiam, ac moraliter tantum talia in ea intelligerentur. Vnde patet aditus ad rationem materiæ, & formæ eodem modo subintelligendam, ac explicandam. Sumptis autem hoc modo rebus, & vocibus, materia, ac forma, non est difficile tueri definitionem illam vniuersalem Concilij, & conclusionem inde deductam, vt patebit ex solutione difficultatum.

Ad 1. Confessio penitentis quatenus exprimens peccata, supra quæ cadit absolutio, non inidoneè dicitur res, & materia sacramenti comparatione absolutionis. Quia verba penitentis ex intentione ipsius, vt talis, non adhibentur primariò, & formaliter ad exprimendos præsentis ipsius actus internos, & conceptus; sed ad exprimendam malitiam præteritorum peccatorum; & quatenus æquiualent immediatè exhibitioni, atque ob oculos positioni eorundem peccatorum secundum se, quatenus sunt operationes quædam, siue oris, siue manus, siue cordis contra legem Dei, possuntque absolute loco verborum adhiberi natus; ac proinde hi sunt æquiuenter verba, atque è conuerso. At verba absolutionis adhibentur formaliter ad munus, quod est propriissimum, ac primarium verborum, iuxta institutionem suam naturalem; nempe ad exprimendos actus internos loquentis, nec sunt supplebilia per aliam rem. Ergò possunt priora verba vicem,

Bb 3 &